AUGUSTINUS

Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 9r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift



igne salutari dii efficiuntur. unde cale fiunt non est deus. Accedis ad lumen. in lumina
ris. et inter filios dei numeraris. Si recedis a lumine. obscuraris. et in tenebris com
putaris. Illud tamen nec accedit ad se. quia nec recedit a se. Si ergo uos deos facit ser
mo dei. quomodo non est deus uerbum dei. Pater ergo sanctificauit filium suum. et misit in mundum.
Forte aliquis dicat. Si pater eum sanctificauit. ergo aliquando non est sanctus. Sic sanctificauit. quomodo
genuit. Vt enim sanctus esset dedit ei gignendo. quia sanctum eum genuit. Nam si quod sanctifi
catur antea non erat sanctum. quomodo dicimus pater sanctificetur nomen tuum. Si non facio opera
patris mei nolite credere mihi. si autem facio et mihi non uultis credere operibus cre
dite. ut cognoscatis et credatis quia in me est pater et ego in illo. Non sic dicit filius
in me est pater et ego in illo. quomodo possunt dicere homines. Si bene cogitamus
in deo sumus. et si bene uiuimus deus in nobis est. Fideles participantes eius gratie.
inluminati ab ipso in illo sumus. et ipse in nobis. sed non sic unigenitus filius. Ille
in patre et pater in illo. tamquam equalis in eo cui est equalis. Denique nos aliquando
possumus dicere. in deo sumus et deus in nobis. Ego et deus unum sumus. nunquid possumus
dicere. In deo es. quia deus te continet. Deus est in te. quia templum dei factus es. Sed nun
quid quia in deo es et deus est in te potest dicere. qui me uidet deum uidet. quomodo uni
genitus dixit. qui me uidet uidet patrem. et ego et pater unum sumus. Agnosce
proprium domini. et munus serui. Proprium domini est equalitas patris. munus serui est par
ticipatio saluatoris. Querebant ergo eum prehendere. Vtinam prehenderent.
sed credendo et intelligendo. non seuiendo et occidendo. Nam modo fratres mei quan
do talia loquor infirmus fortia. paruus magna. fragilis solida. et uos
tamquam ex eadem massa unde sum. et ego ipse qui uobis loquor. simul omnes appre
hendere uolumus christum. Quid est apprehendere. Intellexisti apprehendisti.
sed non sic iudei. Tu apprehendis ut habeas. illi apprehendere uolebant
ut non haberent. Et quia sic uolebant apprehendere. quid eis fecit. Exiit de
manibus eorum. non eum apprehenderunt. quia manus fidei non habuerunt. Verbum caro
factum est. sed non erat magnum uerbo eicere carnem suam de manibus carnis.
Mente uerbum prendere. hoc est christum recte prehendere. Et abiit iterum transior
danem. ubi erat iohannes baptizans primum. et mansit ibi. Et multi ue
nerunt ad eum. et dicebant quia iohannes signum fecit nullum. Meministis uobis
dictum de iohanne. quia lucerna erat et diei testimonium perhibebat. Quid ergo
isti apud se dixerunt. Iohannes fecit signum nullum. Nullum inquiunt miracu
lum ostendit iohannes. non demonia fugauit. non expulit febrem. non cecos il
luminauit. non mortuos suscitauit. non tot milia hominum de .v. pa
nibus saciauit. non supra mare ambulauit. non uentis et fluctibus imperauit.
nichil horum fecit iohannes. et totum quicquid dicebat huic testimonium perhi
bebat. Per lucernam ueniamus ad diem. Iohannes signum nullum fecit. omnia autem
quecumque dixit iohannes de hoc. uera erant. Ecce qui prendere. Non quomodo iudei
uolebant prendere discedentem. apprehenderunt isti permanentem.